







566.

216

1626/18

LXII

44

DISPUTATIO IURIDICA  
DE  
**POSSESSIONE**

QUAM  
D. O. M. A.

*Inflorentissimâ Argentoratensium Aca-  
demiâ*

SUB PRÆSIDIO

Viri Clarissimi & Consultissimi,


**DN. GEORGII-DAVIDIS LO-  
CAMERI. I. V. D. PANDECTARUM P. P.**

& Facult. Jurid. p. t. Decani spectabilis, præ-  
ceptoris & promotoris æta-  
tèm colendi.

*Publica censura exponit*

Ad diem 27. Septembris in audito-  
rio majori.

CASPAR Gensleben Boles-  
laviensis. Sil.



ARGENTORATI

Typis JOHANNIS REPII. Anno 1626.







NOBILISSIMIS, AMPLIS-  
SIMIS ET CONSUL-  
TISSIMIS

VIRIS:

DN. CUNRADO PASSELIO:

&

DN. ERNESTO LANGIO:

J. U. DD. & Illustrissimo Mönsterbergensium & Berol.  
stadiensium Duci à consiliis intimis:

DN. JOACHIMO CLUTENIO J. C. celeberrimo, & in flo-  
rentissimâ Argentoratensium Academiâ P. P:

DN. JOHANNI CASPARO KEHNERO Judicii civitatis  
apud Argentoratenses Referendario dignissimo:

Ut Et

Præstantissimis & Doctissimis

Viris:

DN. JOHANNI HEINTZIO J. U. C. & apud Illustrissimum  
Mönsterbergensium & Olsnensium Ducem Registratori fidelis-  
simo:

DN. M. ZACHARIÆ HERMANNO J. U. C. cognato sua-  
vissimo.


*Dnn. Mæcenatibus, Præceptoribus, & Fautoribus offi-  
ciosè colendis.*

*Ingrata mentis Symbolam, & sui suorumq; stu-  
diorum commendationem disput. hanc.*

O. & C.

*Auth. - Resp.*





AD DN. RESPONDENTEM.

**A**nte satis multas generosa Silesia terras  
 Vindicat ingenis prima trophae suis,  
 Inter sed reliquas famosi nominis urbes  
 Extulit aeternum pulchra Bolesla caput:  
 Vultibus iratum, populares, demite nubem,  
 Sit vobis tuto gloria vestra loco  
 Non temerè loquitur: Fama quis certet Opit?  
 Quis se Kirchnero major ad astra quatit?  
 Aut quicumq;, alii non nostro carmine gaudent  
 Traduci laudes rusticiore suas.  
 Senftlebi, Patriæ ne desere nomen alumnus,  
 Et fuge cognatis civibus esse minor.  
 Quin age Tu, quod agis; Legum tibi maxima tempe,  
 Et justæ pateat virginis ampla domus  
 Quisq; recognoscis queis stet Possessio causis  
 Et nodos inter pulpita docta luis,  
 Hoc statuas, Animum dominus que possidet intra,  
 Nullis prestigiis illa perire Fori.

B. Venator

SCAZON

**S**ilimioris digne cultor Astræ,  
 Quæ post lituras æquitatis hinc sese  
 Subduxit orbi, gentibusq; non-sanctis;  
 Huic vis Dearum principi sacro cultu

Tede-



Te devovere, aquâq; virginis lance  
Pendere jus, legesq; de super missas?  
Emerge diligenter è luto vulgi,  
Alâq; mentis optima immemor terra  
Te tolle supra celsa nubium tecta.  
Ibi Diva circumfusa siderum mille  
Faculis, moratur te benigniori aure:  
Cui da libellum supplicem stat à luce  
Si possidere possis ingenium dignum  
Pretium, eruditioris munus insignis.  
Decidet illa; habetò possidendi jus  
Sed parte celicâ tui, ut loces post hinc  
Seclo futuro, quicquid intus est vobis  
Ne posq; serus te fruatur - utatur.

CHRISTOPHORUS COLERUS.

THE-





## T H E S I S.

## I.

**D**E POSSESSIONE acturus, primò vocabuli hujus diversissimas acceptiones, quas in jure nostro sortitur, discutiam.

2. POSSESSIONIS verbum, sumitur (1.) pro nudà detentione *l. 2. pr. ff. pro hered. l. 18. pr. l. 28. ff. h. t. l. 7. §. 11 ff. com. divid. l. 28. §. 10. ff. de usuris*, atq; sic improprie; quia aliàs à possessoribus veris separantur detentatores hujusmodi, & in possessione esse, nec possidere dicuntur: *l. 9. ff. de R. V. l. 10. §. 1. ff. h. t. §. 4. instit. de usucap. DD. detentionem in specie, Obr. p. 1. c. 1. §. 15. in tract. de possess. Treut. p. 2. disp. h. c. §. 1. & impropriam possessionem dicunt. Pet. Frid. Mind. in tract. de poss. c. 1. n. 13. C. I. A. §. 5. n. 3. h. t. Borch. ad h. tit. c. 1. n. 4.*

3. (2. accipitur pro usucapione, *l. 30. ff. ex quibus causis maj. l. 44. ff. de don. int. vir. & ux. ut & possessio usus dicitur l. 115 ff. de V. S. Cujac. 24. obs. Obr. d. tr. §. 5.*

4. Possessio (3.) significat, *fundum s. rem immobilem*: ut responsum est de eo qui possessiones legasset, *Borch. d. tr. c. 1. n. 3. l. 7. ff. de incend. l. 12. pr. ff. de Instruēt fund. l. 3. ff. de extraord. cog. & hinc sæpè proprietatem denotat. l. 78. de V. S. l. 4. C. de contr. empt.*

5. Idem est (4.) possidere quod *acquirere*, *l. 1. §. 4. 8. 9. 10. 14. l. 16. ff. h. t. aut retinere possessionem, l. 2. §. 1. & 2. h. t.*

6. Possideri etiam (5.) *JURA* dicuntur, *l. 2. §. 3. ff. de prec. l. 34. ff. de pet. her. quorum tamen possessio VERA non est; l. 12. pr. h. t. sed QUASI; pr. inst. de interd. l. 23. ex quibus causis l. 3. §. pen. ff. de vi arm. exemplo servitutum prædiorum, quæ non per se, sed cum rebus corporalibus possideri dicuntur, l. 32. §. ult. ff. de serv. præd. urbanorum l. 10. ff. si servitus vendicetur.*

7. Tandem (6.) possessio & possidere usurpantur pro *actu quo quis rem habet*, separato à dominio & usucapione, *l. 1. §. 14. l. 12. §. 1. l. 17. §. 1. l. 36. l. 37. ff. h. t. & passim Cujac. d. l. Pet. Frid. Obr. C. I. A. dd. ll. atque in hac significatione ego eam hoc loco accipio.*

8. Verùm & hæc significatio variis exprimitur vocabulis: dicitur n. interdum *I. DETENTIO: l. unic. C. de usuc. transf. l. 8. C. de præscrip. 30.*

A

vel



vel 40. ann. genere pro specie posito. Licet enim tenere & possidere sæpius sibi invicem opponantur: l. 18 §. 4. de accept. & tenere dicatur ille qui in possessione solum est, atque ita improprie possidet, θ. 2. l. 38 §. 8. de V. O. l. 49 §. 1. h. t. tamen hoc perpetuum non est, sed & pro verâ possessione ponitur, d. l. 8. l. 15 §. 3. ff. ex quibus caus. maj. l. 21. inf. ff. de hered. & act. venditâ.

9. Item Usus, l. 19. ff. ex quib. caus. arg. l. 3. ff. de usucap. Unde & Usucapio: quod per eam Usus est, Possessiones res capitur: ut expresse vocatur d. l. 115. de V. S. non quod verè usus sit: est enim magis effectus, θ. inf. 13. sed quod veteres eam per usum definierunt. Cujac. ad l. 1. pr. h. t. Borch. d. tract. c. 1. n. 10. & 11.

10. 2. Dicitur Jus Possessionis: l. 44. pr. h. t. Quanquam aliàs jus possidendi & possessio ipsa inter se differant ut causa & effectus. Obr. c. 2. θ 57. & seqq. h. propterea huc non admitto l. 5. C. de liberali causâ propter l. 2. §. 24. de O. l. l. 24. l. 25. ff. de lib. caus. l. 3. §. 10. ff. h. t. Neq; l. 10. C. h. propter l. penult. §. 6. qui satisd. cogunt.

11. Possessio dicta quibusdam à Pedibus, quasi pedum positio edit. vulg. & Holoandr. quod & pedibus acquiri possit, l. 1 §. 21. h. t. quasi per longam manum, l. 79. ff. de solut. Melius tamen Florent. edit. à Sedi- bus, non quod sedes & domicilium ponere necesse habeat eum in locū, quem quis possidere velit, l. 1. p. h. r. l. 203. de V. S. unde Hottomannus ad l. 1. pr. Symbolum & notam possessionis dicit sedium positionem: Godefred. ad. d. pr. sed potius quod ibi sedere, & rei insistere possit: arg. l. 3. §. 5. h. t. quasi potis sedere. Obr. c. 1. θ. 20. h. quia hîc inspicere debet non animus acquirendi: sed potius vis retinendi. arg. l. 22. h. l. 17. de vi arm. l. 2. uti possid. parum enim est, si rem accipias, nisi & retineas, d. l. 22. l. 17. pr. h. t. & constat possessionem legitimam esse, cum omnium adversario- rum silentio firmatur. l. 10. C. h. t. quin & tandem possidemus, quandiu aut ipsi volumus: aut naturalem possessionem nancisci possumus. d. l. 3. §. 9. & 13. l. 12. §. 1. h. t.

12. Definitur possessio à variis variè, quorum definitiones ex parte recensent & examinant Pet. Frid. d. tr. n. 8. 9. Borch. c. 1. n. 15. & seqq. h. t. Obr. d. l. c. 2. Donell. 5. Comm. 6. Ego brevitati studens, ne illorum li- tem meam fecisse videar: definitio ex Coll. Iurid. Arg. quod sit detentio rei, l. 1. pr. h. t. l. 15. §. 3. ex quib. caus. l. 5. pr. ff. de impens. in rem dot. l. 8. C. de præ- script. 30. vel 40. ann. cum animo sibi habendi l. 1. §. 39. l. 3. §. 1. 2. l. 17. §. 1. h. t. tib. l. 1. §. 25. de vi arm. l. 1. §. 20. l. 18. pr. h. t. l. 26. C. de donat. l. 4. §. 1. de precatio.

13. Et proinde nego i. possessionem esse Jus, l. 19. ff. ex quib. caus. maj. l. 23. pr. h. t. l. 37. de Acq. vel omit. her. l. 59. de R. l. quia in facto confi- sit,



tit. l. 1 §. 3. 4. h. t. l. 1 §. 15. ff. si quis testam. liber. dl. 19. jus in hæredem transfertur, dl. 59. de R. l. possessio non item: dl. 23. h. t. neque postliminio restituitur, dl. 19. & rei ablatae jus manet, dl. 3. §. 13. 18. l. 15. h. t. §. 16. inst. de R. D. possessio amittitur, dd. ll. Nec obstat quod jus in quibusdã ll. dicatur: l. 10. C. h. l. 5. C. de lib. caus. cum duo in possessione concurrant, ipsa detentio factum, & jus hoc est, causa ex qua possidetur. l. 24. l. 49. h. t. §. 10. 2. nego esse Usum: differunt enim ut antecedens & consequens: deinde confunderentur etiã inter se corporalia & incorporalia. horũ enim propriè usus, l. 3. §. pen. ff. de vi arm. quæ etiam non utendo amittuntur. tt. ff. quibus modis ususfr. amitt. tt. quemadmodum servit. amitt. 3. nego requiri ad possessionem ANIMUM DOMINI, l. 39. h. t. l. 1. pr. dt. precar. l. 13. pr. l. 16. de usurp. Dico autem hanc definitionem tam naturali quàm civili l. 15. §. 1. ex quibus caus. l. 3. §. 5. hl. 205. de V. S. tam justæ, quàm injustæ possessioni l. 2. uti possid. l. 6. h. t. l. 5. h. t. competere.

14. Definitioni commodè subjicitur divisio. Dividitur autem à quibusdam possessio ex l. 3. §. 21. quod alia sit PRO EMTORE: alia PRO DONATO: alia PRO LEGATO: alia PRO DOTE & c. itẽ quod alia sit JUSTA: alia INIUSTA: dl. 3. §. 5. h. l. 11. ff. h. t. alia BONÆ, alia MALÆ FIDEI: dl. 3. §. 22. alia VITIOSA: alia NON VITIOSA l. 13. §. ult. l. ult. ff. h. t. veruntamen quia in istis membris oppositis nullæ apparent specificæ differentiæ, sed VEL modi tantum acquirendi diversi: dl. 3. §. 21. undè æstimari potest possessio sitne justa, aut injusta: bona vel mala acquisita, & qui in uno etiam individuo concurrere possunt; VEL accidentia: quæ extrinsecus possessioni accidunt, & diverso etiam tempore sibi invicem succedunt l. 24. §. ult. de usurp. l. 2. §. 13. pro. empt. l. 32. de usur. ideo istas pro veris divisionibus non agnosco.

15. An verò divisio possessionis in CIVILEM ET NATURALEM pro divisione generis in species habenda sit; majoris est controversiæ: sed ex iisdem rationibus, quibus reliquæ corruere & de isthac judicari potest. arg. l. 32. pr. de usurp. Unum quippè genus est possidendi, l. 3. §. 21. h. & in summa possessionis nihil inter est, quomodo quis possideat. dl. 3. §. 5.

16. Quia tamen ista distinctio, non tantum in foro: sed etiã in scholis receptissima est; ideo videndum quæ naturalis & civilis possessio dicatur.

17. In foro quidem: NATURALIS, corporis: CIVILIS, Intellectus: (unde & intellectualis vocatur, Obr. c. 3. §. 115. h. t.) beneficio subsistere dicitur; Obr. dl. Accurf. ad d. l. 1. §. 1. h. t. ut qui corpore teneat rem, NATURALITER, qui verò profectus, animo non deserendæ possessionis, nemine suorum relicto, CIVILITER possideat, verum hæc



Sabini & Pomponii opinio fuit, *d. l. 3. §. 5. h. t. l. 15. §. 4. de precar.* à La-  
beone refutata in *d. l. 3. §. 5. & 13. h. l. 1. §. 15. ff. si quis test. Obr. d. l. 9. 120. & seq.*  
*Treit. p. 2. disp. 21. 9. 4. l. k.*

18. In scholis verò & ipso jure Justiniano, variæ vocabulorum  
*Civilis & Naturalis possessionis* acceptiones occurrunt, nam 1. *civiliter*  
dicitur *possidere Dominus l. 1. §. 9. de vi armata.* 2. bonæ fidei possessor  
in usu capiendi conditione constitutus. *pr. inst. de usucap.* 3. *civiliter* di-  
citur *possidere*, qui verè *possidere* potest *l. 38. §. 8. de V. O. l. 24. h. t.*

19. *Naturaliter possidere* dicitur, etiam is, qui *Civiliter possidet*,  
ut *dominus l. 1. §. 1. l. 3. §. 13. l. 23. l. 11. de A. R. D.* & bonæ fidei posses-  
sor, qui potest *usucapere*, *l. 25. de usurp. l. 2. C. de præscript longi temp.*  
Ceterum ut plurimum *naturaliter possidere* dicitur, 1. qui tantum est  
in possessione: *l. 12. h. t. l. 7. §. 11. Comm. divid.* quæ in specie corporalis  
detentio dicitur *l. 1. C. comm. usucap. l. 3. §. 8. ff. h. t.* 2. qui reverà qui-  
dem *possidet*; *l. ult. §. fin. de Precar.* sed non animo acquirendi domi-  
nii, *l. 13. §. 1. de publ. in rem*, quamvis justè, *l. 22. §. 1. de Nox Act.* uti credi-  
tor, sequester, & precario-tenens: vel injustè *possidet*, *l. 1. §. 9. de vi*  
*arm.* ut maritus ab uxore donatum, *l. 26. de donat. int. vir. & ux. prædo:*  
*l. 5. h. t. fur. l. 3. §. 13. & seq. h. t.*

20. Ex his plerumque Dd. dicunt *CIVILEM POSSESSIO-*  
*NEM* (quæ & *juris* dicitur, *l. 49. h. t.* & *juris civilis* possessio, *l. 38. §. 8. de*  
*V. O.*) justam acquirendi vel acquirendi *Dominii* detentionem: *NATU-*  
*RALEM* (quæ & *corporalis* dicitur; *l. 24. h. t. l. §. 15. eod. item* injusta, *dl.*  
*24.*) injustam ad acquirendum *dominium* detentionem, nam etsi ju-  
sta sit possessio creditoris & aliorum: *θ preced.* tamen injusta est ad do-  
minium acquirendum. *d. l. 22. §. de Nox Act.* quia non nisi ex civili pos-  
sessione *usu capio* procedit. *l. 2. §. 2. pro hered. pr. inst. de usucap.*

21. Quod si autem originem possessionis spectamus, ortum  
suum debet ex parte *JURI CIVILI* ut *passim. h.* ex parte *JURI GEN-*  
*TUM l. 1. §. 1. h. t.* undè & ii qui *possidere* dicuntur, *jure naturali* vel *ju-*  
*re civili* possident ut *θ. sup.* dictum.

22. Neque tamen *civilis*: Neque *Naturalis* possessio incipere  
potest, quamvis res corpore apprehendatur, nisi & animus s. affectio ha-  
bendi sibi, accedat, *l. 1. §. 9. h. l. 3. §. 6. eod.* hanc verò affectionem quidam  
habere nolunt, ut qui fundum *jure familiaritatis* ingrediuntur, *l. 41.*  
*ht.* quidam verò, nec volunt, nec possunt, proptereâ, quod illis ea dene-  
gatur. *VEL natura*: ut infanti, furioso, *l. 32. §. 2. l. 1. §. 10. h. t.* dormienti,  
*d. l. 1. §. 3. erranti, l. 34. h. t.* & interdum pupillo. *d. l. 1. & d. l. 32. VEL ju-*  
*re*: ut servo, *l. 38. §. 8. de V. O. §. 3. inst per quas person. hostium potito, l.*  
*19. ff. ex quibus. caus. libero homini bona fide possesso. l. 54. §. ult. de*

A. R.



A. R. D. l. 1. §. 6. h. t. cum enim ab alio possideatur, possidere ipse non potest.

23. Filius sanè familias possidere potest l. 17. §. 2. ad municip. l. 4. §. 1. de usurp. & ad eum Cujac. l. 2. §. 2 ff pro hered.

24. Pupillus, interdum ipse solus acquirit d. l. 1. §. 3. interdum per tutorem, l. 3. t. h. t. interdum autoritate tutoris, d. l. 32. l. 1. §. 2. de adm. nist. & pericul. tut.

25. Tutor quoque, procurator, curator & similes quicquid ii acquirunt, ex re, & contemplatione domini, nō sibi, sed dominis acquirunt, iisq; possident, l. 1. §. 20. h. t. sic commodatarius, depositarius, inquilinus, colonus & similes quamvis rem teneant, non tamen possident, l. 6. §. 2. de prec. l. 5. commod. l. 17. depos. sed sunt in possessione, l. 10. §. 1. h. t. t. t. Inst. per quas person. nec sibi, sed domino possident l. 25. §. 1. 30. §. ult. h. lex enim conventionis, ita concepta est, ut ministerium tantum præbeant, d. l. 1. §. 20. & seq. h.

26. Usufructuarius, & Emphyteuta etiā non possident, hoc enim expressè de usufructuario traditur, in §. 4. inst. per quas person. l. 52. pr. h. t. ubi rectè Cujac. pro NAMQUE legit NAMNEQUE.

27. Emphyteuta autem conductor est, l. 1. si ager vectig. cum mercedem solvat l. 17. de pig. act. conducendo autem non acquiritur, sed amittitur possessio, l. 28. h. diversum tamen est in Emphyteuta patrimoniali, qui interdū & alienare potest, cum sit loco domini l. 1. & t. t. C. de fundo patrim. lib. 11. t. 61. & de diversis pradiis urb. & rust. templ. & c. lib. 11. t. 69. C. l. A. th. ult. tit. si ager vectig. quo etiam referenda, l. ult. §. 1. ff qui satisd. cog. neque obstat, quod habeat actionē in rem, l. 1. §. 1. si ager vectig. l. 12. §. 2. de publ. in rem quia eadem actio & superficiario competit, l. 1. §. 3. & 6. de superf. qui tamen possessor non est l. 15. §. 12. de damno infecto nec ea actio directa, sed utilis tantum est l. 16. de servit.

28. Creditor, an rei oppignoratæ possessionem acquirat, non omnium una est opinio, Negant vulgò Don. 5. com. 6. ibi Hilling. Mynsing. 6. obs. 70. n. 20. Geil. de pign. obs. 6. n. 9. Sed ego cum Cujac. 18. obs. 24. Affirmativam tenebo, & reverà eum, licet non civiliter: tamen naturaliter possidere defendam l. 40. §. 2. de pign. act. l. 13. pr. de usurp. quia debitor ad unam tantum causam, nimirum usucapionem possidet; d. l. §. 15. h. l. 16. de usucap. & sola proprietas apud debitorem manet. l. 35. §. 1. l. 37. de pig. & act. Creditor etiam, possessionem suam interdictis retinendæ, & recuperandæ possessionis defendere potest. l. 2. c. de prat pig. l. 3. §. 8. ut i possidetis. Vide latius quæstionem hanc explicatam in C. l. A. th. 9. & 10. item th. 22. n. 3. h. Cujac. ad African. l. 40. item l. 36. & 37. ad h. tit. Borch. c. 6. n. 29. & seq. Neque obstat, quod pro alieno possideat,



non enim omnis qui pro alieno possidet, statim etiã alieno nomine possidet. Sic enim qui Vi, Clam, & Precario, possidet, alienum possidet, & revera possidet. *l. 6. h. t. l. 5. de usurp.*

29. Possideri porro possunt, 1. solæ RES CORPORALES, *l. 3. pr. h. l. 43. §. 1. de A. R. D. l. 4. §. 27. usurp.* neq; tamen ex omnes, sed 2. hæ tantum quæ in commercio hominum existunt: §. 7. *Inst. de R. D. §. 1. Inst. de usucap.* unde rem sacram, sanctam, religiosam, liberum hominem, &c. possidere non possumus, *l. 30. §. 2. l. 23. §. 2. u. t. nisi justo errore decepti fuerimus, §. 4. inst. per quas person. l. 4. h. t. d. §. Inst. de usucap. l. 26. §. 4. c. de Epis. audient* aut illæ privatae sint factæ. *l. 21. t. de ff. Eccles. §. 4. Inst. de jure person.* Itemque 3. ea quibus insisti potest. lapides enim, aut aliæ res mobiles submersæ, *l. 13. pr. h. t.* & ager inundatus *l. 3. §. 17. h. t.* possideri non possunt. *l. 30. §. 3. h. t.* Et 4. certa. incertæ enim rei nulla est possessio, *l. 26. l. 3. §. 2. h. t.* licet ex idoneâ *l. 1. §. ult. ff. si pars heredit.* & justâ causa vindicari possit. *l. 76. de R. V.* Certam autem partem & rem hic intelligo, non quæ demonstrari solum: sed & quæ nominari potest, *d. l. 26. Borch. c. 5. per. tot. c. 1. A. 6. 11. n. 5. Orb. c. 2. h. t.* Et denique 5. Vacua *l. 16. §. 1. h. t.* Vacua autem res dicitur possessione, non solum, quæ tum temporis, cum alius eam ingreditur, aut apprehendit, vacat, *l. 37. §. 1. de usurp. l. 1. §. 1. h. t.* Sed etsi alius rem intervertendæ possessionis causa contrectet. *§. 1. Inst. de oblig. ex quasi delict. l. 3. §. 13. h. t.* aut ab alio occupatam, ex metu relinquat *d. l. 6. h. t. l. 3. §. 7. 8. 11. eod.*

30. In traditione quoque possessio vacua apparet: dum scil. tradens, animo suo possessionem amittit. Ubi tamen sequitur ut tradens & accipiens in idem corpus consentiant, *l. 34. pr. h. t.* (ubi recte legit *Cujac. pro consenserimus: non consenserimus*) adeoq; accipiens possessionem acquirat: aliâs enim possessio prioris manet. *d. l. 34.* Neque obstat. *l. 18. §. 1.* quia possessio quæ ibi traditur furioso, qui consentire non potest, nihilominus amittitur, licet is eam non acquirat, quia nempe possessor animo discessit à possessione *l. 3. §. 9.* & purè tradit: in *l. autem 34. pr.* videtur tradita sub eâ conditione, si illud corpus acquisiverit accipiens, non videtur autem acquirere, qui errat *d. l. 34. & ita Cujac. ad dd. l.*

31. Vacua autem possessio nihilominus est, licet alius sit in possessione, *l. 18. de vi arm.* aut alteri obligata *l. ult. §. 1. ff. de donation.* nisi re ex emptione tradatur. *l. 2. §. 1. de Act. empri* & si res pro parte tantum vacat, possessio etiam pro eâ, qua vacat parte, acquiritur. *l. 43. h.* Item si sub conditione tradita sit: translata, vel acquisita non dicitur, nisi conditio extiterit, *d. l. 34. l. 38. h.* ratio horum est, quia duo rem in solidum simul possidere non possunt. *d. l. 3. §. 3. h.* neque contrarium ex *l. 3. pr. uti possid. & ex l. 15. §. 4.* probari potest, verum enim est, quod *Cujac. 9. obs. 32.* ait



ait eas LL. ex mente Sabini & Trebatii proponi, quod contextus satis arguit. Vide latius de hac quaestione *Borch. c. 6. n. 18. & seqq.* ubi ad 12. arg. quæ videntur hic contraria, respondet. *C. I. A. t. h. 7. n. ult. h. t.*

32. Ad formam possessionis pertinent quaestiones, tam quomodo acquiratur & retineatur possessio: quam quomodo & qualiter possideatur: de quibus, licet multa communia invicem habeant: tamen in specie aliquid agam.

33. Acquirimus autem possessionem animo & corpore simul, neque per se animo, neque per se corpore, *d. l. 5. §. 6. l. 18. l. 23. h. t.* in tantum ut corpus præcedat, animus subsequatur. *d. l. 3. §. 3. l. 47. h. t.* quam per statutum fieri posse, ut & animo solo possessio acquiratur, notet *Gail. 2. obs. 129. n. ult.*, & *obs. 152. n. ult.* quod non nisi in casu hæreditatis, quâ suus hæres succedit. *Dd. admittunt. Petr. Frid. cap. 11. n. 39. C. I. A. 9. 12. h. t.*

34. Varias autem *animus* in jure nostro appellationes habet, Appellatur enim affectus & affectio, *l. 3. §. 3. ff. h. t. l. 10. C. eod. judicium, l. 32 §. 2. h. intellectus, l. 1. §. 3. h. propositum, l. 46. & seqq. h. mens & cogitatio, l. 3. §. 1. voluntas, l. 2. §. 12. pro empt. probatur non tantum juramento. Communiter D. D. Borch. c. 3. n. 15. sed & aliis circumstantiis, l. 2. C. h. t. puta arando, seminando, fructus percipiendo, pensionum solutione & similibus *d. l. 2. l. 20. C. de Agricol. & Cens. lib. 11. tit. 47. & ibi. Dd. Wesenb. π. h. t. n. 6. Borch. c. 3. n. 16.**

35. Corpus autem probatur per ingressionem, *d. l. 6. h. l. 18. eod.* apprehensionem, *l. 1. §. 3.* depositionem in domum, *d. l. 18. §. 2.* custodiam, clavium *l. 51. h. t.* aut instrumenti autoritatis acceptionem, *l. 1. C. de donat. traditionem & aspectum l. 1. §. 21. l. 48. §. 2. h. t. & sim. de quibus Wesemb. & Borch. dd. ll. Obr. p. 2. c. 6. per tot.*

36. Ubi tamen obiter notandum, quod post acquisitam possessionem, sæpius dicamur corpore possidere, cum animo & corpore possidemus *l. 44. §. 2. h. l. 1. §. 24. & 26. de Vi arm. & animo possidere, quod animo retinemus d. l. 1. §. & seqq. de Vi armata 9. sup. 5.*

37. Neque tamen semper corpus & animus noster requiritur: sed idem etiam corpore & animo alieno perfici potest.

38. Animo & corpore nostro acquirimus, si rem ipsi apprehendimus *l. 1. §. 2. & seqq. h.* si autem ipsi: si autem alius quispiam apprehendat, nostro animo & corpore acquiri videtur possessio: dummodo in rei & nostrâ præsentia illum alium ingredi, custodire *l. 51. h. t.* alii tradere, aut in nostram domum etiam nobis absentibus deponere jubemus, *l. 1. §. 21. l. 18. §. 2. h. t.* quin & laqueus, & nassa, à nobis eo animo posita, ut quicquid inciderit, habere velimus, & apertam in eam inciderit, ut diutius lætando



Etando sese extricare non possit: & pisces ex nassa evadere non possint, illicò & dominium & possessionem nostro animo & corpore acquirimus, l. 55. de A. R. D.

39. Per alios acquirimus, si illi rem nostro animo apprehendant, l. 34. §. ult. h. §. 3. Inst. per quas personas. Idque fit tripliciter vel animo & corpore alieno: vel animo nostro & corpore alieno: vel animo alieno corpore nostro.

40. Animo & corpore alieno acquirimus, vel per eos qui sunt in nostrâ potestate: vel qui non sunt.

41. Qui sunt in nostrâ potestate, per eos acquirimus vel ex causâ peculiari: vel non peculiari.

42. Si ex causâ peculiari filius quid apprehendit, statim Pater id possidet, licet filium in potestate suâ esse ignoret, l. 1. §. 5. h. t. aut is ab alio possideatur, l. 4. h. t. neque opus est, ut patris nomine rem apprehendat. Opposita enim sunt peculiari, & patris seu domini nomine apprehendere. arg. l. 33. & l. 35. ff. de solut. idem l. 16. §. 3. de liberali causa l. 3. §. 1. ff. de in rem verso. nam qui acquirit peculiari nomine, suo nomine acquirit, quod servus & filius peculiatus tantum potest: qui domini aut patris, nomine alieno acquirit: quod filius & servus tã peculiatus quàm non peculiatus potest. C. l. A. 0. 15. n. 16.

43. Ergo & servus ex hâc causâ potest domino acquirere, d. l. 1. §. 5. l. 44. h. t. licet sit furiosus, aut infantis; d. §. 5. hostium potiti; l. 23. §. 1. h. t. l. 12. §. 2. de capti & postl. hæreditatis, l. 45. §. 3. l. 46. de usurp. item & ille acquirit qui est in fugâ l. 1. §. 14. h. neque refert an reverâ servus fuerit, an verò liber: modò bonâ fide à nobis possessus fuerit d. l. 1. §. 6. nam & illud servus alienus potest, si peculium à nobis habeat, ut & servus usufructuarius & usurarius l. 2. l. 15. l. 16. §. 1. de Pecul. communis servus omnibus hoc nomine, si peculium à nobis proficiscatur l. 42. h.

44. Nihil autem interest: masculus an femina, pubes an impubes sit d. l. 1. §. 11. & seq. modò intelligat quid agat d. l. 1. §. 19. h. per furiosum enim nihil acquirimus, d. l. 1. §. 10. ut nec per eum qui diu in libertate moratus est l. 3. §. 10. h. t.

45. Servus pignori datus neque debitori: neque creditori possessionem acquirit; Non debitori, quia ille ad unam tantum causam servum possidet, d. l. 1. 8. 15. h. l. 16. de usurp. Non creditori quia securitatis causâ tantum possidet, §. ult. Inst. quib. mod. re contrah. oblig. & nec stipulatione, nec ullo alio modo per eam acquirere potest. l. 37. pr. de A. R. D. d. l. 1. §. 15. h. l. 11. de usurp.

46. Neque tamen solum possessionem; sed & usucapionem ex hâc causâ acquirimus, l. 31. §. 3. de usurp. l. 2. pr. & §. 13. pro emptor. idque utili-



572 46  
utilitatis causâ receptum est, ne cogentur domini per singula mo-  
menta causas & species peculiorum inquirere, *l. 44. §. 1. h. t.* dum quo-  
dammodo nostrâ voluntate intelliguntur possidere, qui eis peculium  
permisimus *d. l. 1. §. 5. h. t.*

47. Si non ex causâ peculiari, tunc opus est ut filius vel servus  
rem nostro nomine apprehendat. *l. 34. §. ult. h. t.* (differunt enim pecu-  
liari, & patris seu domini nomine apprehendere, ut dictū *th sup. 42.*) ne-  
que obstat, *l. 1. §. 5. l. 4. l. 44. §. 1.* Nam quod ibi dicitur de causâ peculia-  
ri, id in *d. l. 31. §. 1. & §. 3. inst. per quas personas*, dicitur de non peculiari,  
nullibi verò exclusiva particula addita reperitur: Et quare non, quod  
uno casu receptum sit, legislator ad alium quoq; producere possit? quin  
imò *l. 44.* quæ videtur certissima, si rectius perpendatur contrariū neu-  
tquam dicit. *Vide C. I. A. 0. 15 n. 16.* Deinde esset etiam quàm absurdum,  
denegare hoc illis qui in nostrâ potestate sunt; & concedere iis, qui non  
sunt, ut procuratori &c. *l. 34. §. 1. h. l. 1. C. eod.*

48. Itaque quicquid filius, vel servus, patris, vel domini nomine  
apprehendit, id pater, & dominus, etiâ ignorantes possidēt, *d. l. 34. d. l. 31.*  
*§. 3.* Servus autem communis; si ex re communi uni dominorum ac-  
quirere velit, ei, cui vult, acquirit, *§. 3. inst. per quas person. oblig. & ê con-*  
*tra: si ex re unitis, omnibus acquirere velit, etiam acquirit, verùm com-*  
*muni dividendo dominus suum præcipuè consequi potest. l. 45. ff. de*  
*A. R. D.*

49. Per eos quoque, qui non sunt in nostrâ potestate, ignoran-  
tes acquirimus possessionem, si nostro nomine res apprehendant *d. l. 34.*  
*d. l. 1. §. 20. h. t.* si autem vel sunt servi vel sunt liberi.

50. Servi aut possidentur à nobis: aut non.

51. Si possidentur; illud fit vel Bonâ: vel Malâ fide.

52. Si bonâ fide, tunc ex re nostrâ, & operibus suis nobis acqui-  
runt. *§. 4. inst. per quas personas nob. acq. l. 1. §. 6. h.*

53. Si malâ, nihil acquirunt *§. 5. inst. d. t.*

54. Si non possidentur à nobis tunc aliquo jure ad nos perti-  
nent: vel non.

55. Aliquo jure ad nos pertinent, servus usufructuarius & usura-  
rius, atq; hi etiam ex re nostrâ & operibus suis nobis acquirunt *d. §. 4.*  
*l. 21. de usufr. l. 1. §. 8. l. 49. h.* Et sic etiam servus usufructuarius ex re non  
domini, proprietario acquirit *l. 37. §. 5. de A. R. D.* Item servus in liberta-  
te moratus *l. 31. §. 2. de usurp.*

56. Nullo jure ad nos pertinet, servus alienus, si nostro nomine  
rem apprehendat, possessionem acquirit. *d. l. 34. §. ult. h. d. l. 31. §. 2.*

B

57. Per



57. Per liberas quoque personas ignorantes ex hâc causâ acquirimus, ut sunt tutor, curator & procurator generalis, *l. 1. C. h. t. d. §. 20. d. l. 34. §. 1. h.* idque utilitatis causâ receptum est. *d. l. 1. & 8. C. h.* Neque tamen aliud quicquam hoc modo ex re alienâ quàm possessio acquiritur *l. 1. C. per quas person. nob. acqui.* & jura de ejusmodi acquisitione loquentia utuntur *phrasi* per tutorem, per curatorem, per procuratorem *l. 3. C. h. d. l. 1. §. 20. ff. h. l. 1. §. 2. de administ. & periculo tutorum.*

58. Ubi tamen notandum quòd, ubicunque ignorantes acquirimus possessionem, justam tantùm acquirimus. *l. 24. pr. h. t.* Quicquid ergo filius vel servus ex flagitio apprehendit, possidere non possumus: nam nec velle illud dominum vel patrem præsumitur, ne se alieni flagitii participem faciat.

59. Animo nostro, corpore & animo alieno acquirimus, tam per eos, qui nobis etiam ignorantibus & invitis acquirere possunt: quàm per alios, non tamen eodem modo: Nam in superioribus nostra scientia & voluntas certa (ut enim certa possessio tantùm est possessio *sup. 29. ita & certa voluntas tantùm est voluntas*) non requiritur: hîc autem requiritur: *eaq; probatur, vel ex jussu antecedente: vel consequente consensu.*

60. Ex jussu antecedente: si filium, servum, procuratorem vel alium quemvis mittamus, ut possessionem nobis acquirat, & ille nostro nomine rem apprehendat, eo ipso nobis acquisita est possessio *d. §. 19. l. 42. h. t.*

61. Ex consensu consequente: si negotiorum gestor nostro nomine rem acceperit, nosq; ratum habeamus, acquirimus possessionem, *d. l. 42. §. 1. in fin.* quam legem de negotiorum gestore intelligendam esse docet *l. 24. de negot. gest. l. 34. §. 4. de solut.* Et acquiritur nobis possessio per procuratorem, licet is erret in corpore acquirendo *d. l. 34. §. 1. h.*

62. Per constitutum quoque alter possessionem in nos transferre potest, sive ea sit sua: sive aliena. *l. 18. pr. h. l. 42. §. 1. h.* quin imò quàm ipse non habet nobis conferre potest *l. 21. pr. h. t.* modò rem tradere possit *arg. l. 1. §. 21. in fin. de R. V.* Itaque si dominus fundum suum alteri donet, retento sibi usufructu *l. 77. de R. V. l. 28. l. 35. §. 5. C. de donat.* aut conducat: aut roget ut sibi in possessione esse liceat, possessionem amittit, *l. 28. h.* in quâ tamè l. differentiarum aliquæ proponuntur: non enim semper conducendo, & precatiò rogando possessionem amitto; sed refert, an sciam rem meam esse, & possidere: an ignorem; Item



an respectu possessionis, an verò proprietatis conduceam. Nam si scio rem meam, & scio me possidere, & conducam respectu possessionis, amitto possessionem: quia hîc animus alienandi apparet, *d.l. 18. pr. b.l. 77. de R. V.* Si ignoro, non amitto: quia error hîc nihil operatur *l. 15. ff. de iurisd.* Sed etsi sciam me possidere, & conducam respectu proprietatis, non amitto: quia nemo rem suam pro conducto aut precario habere potest. *l. 45. ff. de R. I.* Si autem sciam me possidere, & puto alienam, nihilò minus tamen amitto possessionem: quia hîc mea opinio facit locatorem possessorem, dum constituo alieno nomine possidere *d.l. 18. pr.* & per consequens etiam dominium, si longi temporis præscriptio accesserit *d.l. 23. C. locati. l. 20. C. de agr. & censit. lib. 11. t. 47. C. I. A. 0. 16. n. 4. h.*

63. Animo alièno corpore suo acquirunt ii, qui sunt in potestate parentum, tutelâ, vel curâ.

64. In potestate parentum sunt liberi. Itaque si pater filio impuberi autor fiat, ut acquirat possessionem, filius, ut pupillus tutore auctore, acquirat *arg. l. 1. §. 3. l. 32. §. 1. h.*

65. In tutelâ sunt pupilli: Et hi vel sunt infantes: vel non infantes. Et hi tamen omnes ut per tutorem, ita & auctore tutore acquirunt, modò aliquid intelligant. Nam licet imperfectus sit sensus infantis, suppletur tamen iudicio tutoris *l. 3. C. h. t. l. 1. §. 3. l. 32. §. 1. h. t.* Nam si nihil planè intelligit: ut est infans duorum aut trium annorum, rectius dicimus, non tutore auctore, sed per tutorem acquiri *arg. l. 1. ff. de honor. possess. furios. & infant. l. 1. §. 13. ff. de Oblig. & Act. & distinctio hæc expressè extat in l. 1. §. 2. de adm. nist. & peric. tut.* utilitas verò in hoc versatur, quòd ille, qui per tutorem acquirat, usucapere non potest: qui auctore tutore, potest. *l. 4. §. 2. de usurpat. Vide Obrech. 0. 61. & seqq. Borch. cap. 4. num. 1.*

66. In curâ sunt minor, surdus, mutus &c. & hi, cùm per se acquirere possunt, possunt etiam Curatore auctore, dum tamen intelligant quid agatur *l. 2. ff. de honor. possess. furios. infant. & c.*

67. Furiosus curatore auctore non possidet, quia nullus ibi consensus, & quod per se nullum est, non potest suppleri *d.l. 5. de R. I. l. 5. §. ult. l. 6. de precario d.l. 1. §. 12. de O. & A.* quamvis id, quod ante furorem acquisivit, retineat & usucapiat *d.l. 4. §. 3. de usurp.*

68. Nectamen sufficit, ut rem vacuum & certam ANIMO & CORPORE apprehendamus, sed præterea etiam ad civilem seu justam possessionem requiritur TITULUS s. CAUSA possessionis, *l. 3. §. 4. h. l.*



*b l. 7. C. eod.* Nam ut dominium acquiritur, non nisi ex iustâ causâ *d. §. 4. l. 20. C. de pactis.* Ita & ista possessio *d. §. 4. Inst. t. t. de R. D. & per quas person. acq.* nec causam eius sibi ipse mutare quis potest *l. 3. §. 19. l. 19. §. 1. h. t. l. 33. §. 1. de usurp. l. 5. C. h. t.* licet ex pluribus causis possidere quis possit: *ex d. l. 3. §. 4. l. 1. pr. pro suo.*

69. Tituli autem sive causæ possessionum tot sunt, quot genera possessionum, ut pro emptore: pro legato: pro donato: pro dote: &c. *d. l. 3. §. 21. d. l. 1. pr. pro suo.*

70. Hos autem titulos vel traditio: vel occupatio confert: & ea utraque vel iusta vel iniusta.

71. Traditio iusta est, si res nobis, sive à domino: sive à non domino (quem tamen dominum esse, aut alienandi & tradendi jus habere credamus *l. 109. de V. S.*) bonâ fide accipientibus tradatur, *pr. Inst. de usurp. l. 77. de R. V. l. 34. h. t.* non enim tradentis, sed accipientis hîc tantum inspicitur animus *§. 3. institut. de usucap. l. 10. ff. eod.*

72. Traditio iniusta est, si res aliena, aut quæ est extra commercium, scientibus nobis, atque ita malâ fide, ab alio, invito domino & nullo jure: aut etiam à domino, qui alienandi potestatem non habet, ut est: pupillus: cui bonis interdicitur, aut qui in fraudem creditorum alienat, tradatur. *l. 27. de contr. empt l. 2. §. 1. §. 17. l. 8. ff. pro empt. l. 7. §. 5.*

73. Iusta occupatio est, si quis rem, quæ nullius est in bonis: sed esse potest: aut quæ quidem est, non tamen, esse putatur, vel abjectam aut pro derelicto habitam esse, eo animo ingreditur, aut apprehendit, ut velit esse suam. *l. 1. §. 1. h. l. 37. §. 1. de usurp.*

74. Iniusta occupatio est, si quis rem Vi, Clam, vel Precario occupat *t. t. Quod vi & clam. t. t. de precar. l. 5. l. 6. l. 40. §. 2. & 3. h. t.*

75. Ex his postea oritur, quòd possessio alia dicatur iusta: alia iniusta: illa iterum vel est iusta in specie, vel bonæ fidei: Hæc vel iniusta in specie vel malæ fidei.

76. Iusta in specie est: quæ habet iustum acquisitionis titulum, sive ille sit verus: sive iusto errore præsumtivus *l. 33. §. 1. vers. hoc ampl. de usurp. l. 3. pro hered. l. 5. l. 6. C. h. t.* sive de civili sive de naturali controvertatur: nam & naturalis iusta est *l. 22. §. 1. de nox. act. l. 13. §. 1. de public. in rem l. 7. §. 4. comm. divid.*

77. Bonæ fidei possessio est, si rem alienam à non domino, quem tamen dominum esse, aut jus alienandi ( ut sunt: tutor pro-  
curator



curator &c.) verisimiliter habere quis credit, ignorans *l. 3. pr. ff. d. ad L. Fab. de plagia. lib. 43. h. t. l. 109. de V. S.* aut etiam sciens invito domino, permittente tamen lege *l. 2. C. debitoris venditionem pignoris impedire non posse. l. 12. §. 7. & 8. ff. de captiv. l. 78. §. ult. de leg. II.* aut eo qui jurisdictioni præest *l. 11. h. arg. l. 1. C. de fid. & jure hasta lib. 10. t. 3. sine dolo l. 6. C. de prescrip. long. temp. accipiat, aut etiam occupet d. l. 1. §. 1. h. §. 28. inst. de R. D.* Et in eadem fide retineat *l. 48. §. 1. ff. de A. R. D.*

78. Injusta possessio est, quæ injustum habet acquisitionis titulum: *l. 7. §. 4. comm. divid. l. 3. §. 5. h. t. l. 3. pr. de precar. & hæc non nisi de naturali: dici potest, quæ in solo facto consistit. arg. l. 1. §. 4. l. 5. l. 6. h. t.*

79. Malæ fidei possessio est, si rem alienam quis sciens à non domino, aut etiam ipso domino: qui jus alienandi non habet, contra leges, & voluntatem domini, qui jure illud prohibere potest, dolo malo accipiat. *l. 29. pr. h. l. 17. C. de R. V. l. 1. 23. l. 8. pro emt. aut occupet. l. 5. l. 6. h. t. t. quod vi & clam. & t. t. de precar. atque etiam ita retineat l. 32. pr. de usurp. d. l. 48.*

80. Quamvis autem hæc justæ bonæque fidei possessionis distinctiones in multis convenient, & ambæ sub jisdem vocabulis contineantur, propterea quod ambæ ad legitimam possessionem requirantur: *d. l. 33. pr. de usurp.* tamen hoc perpetuum non est; nam & expressè discernuntur *in d. l. 33. & pr. inst. de usucap.* ut, potest quis habere justum titulum, malam verò fidem; ut, qui rem alienam emit, aut cui donatur scienter: nam titulus emtionis & donationis justus est, ad transferendum dominium, fides verò bona non est. Item potest quis habere bonam fidem, sed injustum titulum; ut, qui rem furtivam, aut vi possessam putat esse hæreditariam *§. 3. inst. de usucap.* nam cum in omne jus hæres succedat, etiam in injustâ re succedet *§. 2. inst. de usucap. l. 43. ff. eod.* Justa enim possessio titulum respicit, & titulus est causa acquisitionis extra hominem, fides verò in homine, unde nemo, sibi titulum mutare potest: *d. l. 3. §. 4. h. fidem autem potest, & mutatâ fide titulus sæpè manet l. 48. §. 1. de A. R. D.* titulus enim ad jus, fides ad factum refertur *d. l. 48. l. 10. pr. l. 43. de usurp.*

81. Neque tamen ad justam possessionem sufficit titulus justus & bona fides: sed prætereâ etiam requiritur, ne vitium aliquod possessioni accidat. Vitium autem est vel in Personis, vel in Rebus, vel in Utroque.



82. Vitium in personâ est, si persona, rem, cuius commercium non habet, nec habere potest, possideat, ut, si servus sibi acquirat, & peculium sibi constituat. *l. 4. § 9. de usurp.* aut si Præses vel miles rem provinciam immobilem habeat. *l. 46. §. 2. de iure fisci. l. 62. pr. de contr. empt.*

83. Vitium in Re est, si res sacra, sancta, religiosa, fisci, servus fugitivus, liber homo, res furtiva aut vi possessa possideatur §. 2. 4. *Inst. de usucap. l. 30. §. 4. l. 23. §. 2. h. t. l. 4. l. 6. pr. de contr. emt. l. 21. C. de SS. Eccles.*

84. Vitium in utroque est, si quis rem Vi, Clam, vel Precario possidet.

85. Vi possidet, qui expulso vetere possessore, possessionem Vi ingreditur *l. 1. §. 28. & seq. de Vi arm.* & licet non dejecerit, si tamen ad vim paratus venerit: aut revertentem dominum non admissit, vi possidet. *l. 6. §. 1. h. t.* non autem, qui sine vi occupatam, vi retinet. & defendit. Origo enim possessionis inspicitur. *d. l. 6. h. t.*

86. Clam possidet, qui furtivè ingressus est possessionem, ignorante eo, quem sibi controversiam moturum suspicabatur *d. l. 6. pr. l. 3. §. 10. uti possid.* licet postea dominum certiore fecerit. *l. 40. §. h. t.* Non autem si bonâ fide accepit, postea celavit: aut etiam si dominus rem suam clam abduxit *d. l. 6. & 40. in fin.* modò illius, qui rem tenebat, nihil interfuit. *l. 15 § 2. de furt.*

87. Precario possidet, qui rem à domino rogatam, bonâ fide accipit, atq; ita ab initio justè possidet *d. l. 13. de public. in rem.* postmodum verò repenti domino restituere denegat, atque ita contra voluntatem domini *l. 1. l. 2. §. 2. de Prec.* si animo sibi habendi retinet, injustè possidere incipit. Non tamen, si ex certâ causâ: fortè propter impensas tandiu retineat, usque dum ei à domino satisfiat *arg. l. 15 § 1. de furt.*

88. Omnes autem res possidentur vel Civiliter vel Naturaliter de quâ *supr. §. 17. & seqq.* vel Per se; vel cum aliis.

89. Per se possidentur, res omnes simplices & unitæ, quæ uno spiritu continentur: ut, homo, tignum, lapis. Et licet alteri ex accidente adjungatur: ut gemma adjicitur annulo; equus quadrigis; ovis gregi. Nam cum hæ res, rei, non ut pars integralis accedunt: (annulus enim sine gemmâ esse potest &c.) sed & singulæ per se usum præstant: meritò dicimus, rem quamque in corpore ex distantibus conjunctam possidere *l. 30 pr. §. 2. de usurp.*

90. Cum aliis possidentur res, quæ alteri tanquam pars integralis accedunt, & sine quibus principale consistere nequit: ut sunt tabulæ, navi



navi vel armario junctæ; tignum & tabulæ ædibus adfixæ: & ideo ædes nos possidere dicimus, non singulas res *l. 3. pr. h. t. & l. 30. §. 1. de usurp.*

91. Tertium quod ad formam possessionis pertinet, est doctrina de retinendâ possessione. Retinemus autem possessionem vel animo & corpore simul; vel animo solo.

92. Animo & corpore retinemus possessionem, si corpore rei insistimus, animoque possidemus *arg. l. 3. §. 9. l. 8. l. 18. §. ult. h. t.* sive id per nos ipsos: sive per alios qui nostro nomine in possessione sunt, expediatur.

93. Animo solo retinemus, si quidem corpore rei non insistimus; animo tamen retinere cupimus *l. 3. §. 7. & 11. l. 30. §. 5. l. 44. §. ult. & l. 46. h. t.* ut est ille, qui proficiscitur ad nundinas, nemine suorum relicto: aut qui propter pestem: aut bellum, fundo abest *l. 6. §. 1. h. t.* item qui hyberna aut æstiva certo tempore relinquunt. *d. l. 44. & l. 46. h.*

94. Non tamen res omnes, uno eodemque modo retinentur: aliter enim mobiles aliter immobiles retinentur.

95. Rerum mobilium (excepto homine) possessionem tandiu retinemus, quandiu sub custodiâ nostrâ sunt *d. l. 3. §. 13.* Sub custodiâ autem nostrâ esse intelliguntur si naturalem possessionem quando volumus nancisci possumus, *d. §. 13.* itaque si vas exciderit: aut pecus aberraverit, ut nō inveniatur, amittimus possessionē *d. §. 13. l. 30. §. 4. h. t.* imò & plerunque ignorantes, si fortè subtracta fuerit *l. 15. h. l. 13. §. ult. de usurp.* non tamen si ab iis, qui in nostrâ potestate sunt *d. l. 15.* Item retinemus, si res in domo abscondita sit, pisces in piscinis, feræ in vivariis non statim inveniuntur: quia adhuc sub custodiâ nostrâ sunt, & diligentius quærendo inveniri possunt *d. l. 3. §. 13. & seqq. & ibi Cujac.*

96. Rei immobilis autem possessionem, tandiu retinemus, quandiu voluntatem ejus amittendæ non concepimus, nec dejecti sumus *d. l. 3. §. 9.*

97. Voluntatem ejus amittendæ concipimus, quotiescunque animo deserendæ abimus: *arg. l. 13. §. 8. l. 31. h. t.* aut alii constituimus possidere. *d. §. 18. pr. h.* aut ex negligentia fundum longo tempore non colimus *l. 37. §. 1. de usurp.*

98. Dejicimur autem quotiescunque alius possessionem nostram ingreditur animo nos dejiciendi, & sibi habendi: sive autem nos ipsi, sive nostri dejiciuntur, nos dejecti videmur *d. §. 8.* Si ego dejicior, socius autem, *l. l. 42. pr. h.* aut mei non dejiciantur, non videor dejectus *l. 1. §. 45. de Vi arm.* Item si illi qui in meâ potestate sunt, me dejiciant. *d. l. 40. pr. h. l. 33. §. ult. de usurp.* ut & rem mobilem mihi ab iis surreptam retineo.



retineo §. 95. Verùm, non, ut rei mobilis possessionem etiam ignorantes amittimus, sic etiam immobilis. Nam licet alius fundum meum ingressus sit me absente, quamvis corporaliter teneat: non tamen possidet antequam ego resciscam; & metu perterritus redire nolo. l. 6. l. 25. §. 2. h. aut me redeuntem prohibeat aditu l. 7. l. 25. h. Sanè uno casu etiam ignorantes amittimus possessionem, si animo & corpore alieno possidemus, & illi qui possident nobis, alii tradiderint l. 3. §. 9. h. (ut rectius ibi legitur pro tradiderim Cujac. ibi.) non etiã si alii prodiderint, aut deserendæ possessionis causã discesserint. d. l. 3. §. 9. l. ult. C. h. l. enim 40 §. 1. vestigium habet antiquæ altercationis in Proculianos & Sabinianos quod Imperator Iustinianus d. l. ult. sustulit. Cujac. ad d. l. C. I. A. §. ult. n. 11. Multò minùs etiam amittimus, si ille per quem possidemus mortuus fuerit d. l. 3. §. 8. (modò non neglexerimus eam adipisci d. l. 40. §. 1. l. 44. §. 2. h. h. t. cum & per hæredes eorum retineamus l. 60. §. 1. ff. locati l. 40. §. 1. h.) furere ceperit l. 25. §. 1. h. dormiat l. 31. §. 3. de usurp. sic qui jus alienandi non habet, licet rem corporaliter transferat, possessionem tamen retinet l. 29. h. l. 11. ff. de A. R. D.

99. Finis possessionis est, ut possessor possit frui commodis possessionis.

100. Commoda autem intelliguntur ex variis effectibus; qui sunt, vel Judiciales: vel Extra judiciales.

101. Judiciales effectus sunt, quibus possessor utitur in iudicio, ut sunt, (1) Interdicta Retinendæ, & Recuperandæ possessionis.

102. Retinendæ possessionis interdicta sunt in rebus soli, UTI POSSIDETIS §. 4. Inst. de interd. & in rebus mobilibus UTRUBI. In quibus semper vincit is, qui litis contestatæ tempore nec VI: nec CLAM: nec PRECARIO ab adversario suo possidet. d. §. 4. quia hîc non refert iusta: an injusta actoris sit possessio. l. 2. ff. uti possid. modò non injusta sit respectu adversarii; l. 3. §. 5. eod. unde & creditorem hoc interdicto uti posse statuo l. 2. C. de prator. pign. l. 1. §. 4. uti possid. & si adversarius intentionem suam non probaverit, remanet possessio in suo loco d. §. 4.

103. Recuperandæ interdictum est, UNDE VI: quo agit actor, contra vim factam. De vi autem potest agere, & Civiliter, & Criminaliter: si Civiliter, tum præter possessionem & fructus, l. 1. §. 40. & seq. ff. de vi arm. tam perceptos; quàm percipiendos. l. 4. C. unde vi l. 33. ff. de R. V. (qui hîc, non ut in reliquis interdictis à die editionis; sed à die quo dejectus est, computantur d. l. 1. §. 40) etiam pretium rei accipit. l. 4. l. 8. l. 10. C. unde, vi §. 6. Inst. de interd. si Criminaliter: agit ex L. Iulii & tunc aut  
ne



de vi Publicâ: aut de vi Privatâ : Si agit de vi Publicâ, quæ armis fit d. §. 6. Reus deportatur l. 10. ff. ad L. Iuliam de vi Publicâ : Si de vi Privatâ, quæ sine armis fit, punitur publicatione tertiæ partis bonorum l. 1. §. 5. ff. ad L. Iuliam de vi privatâ.

104. Affinia interdictis, quibus recuperatur possessio, sunt, actio Publicana l. 1. de publ. & rei vindicatio l. 9. ff. de R. V. l. 12. §. 1. h. t. l. 18. §. ult. ff. de vi arm. & actio furti l. 12. §. 1. de furt. & conditio, de quâ tot. tit. ff. de act. rer. amot.

105. Utitur etiam bonæ fidei possessor accessione temporis auctorum suorum, l. 13. b. Ita, ut si justè possederit ille, à quo possessionem habet, & ipse similiter ab eo bonâ fide, & justo titulo acceperit, accedat illud tempus, quo apud auctorem res fuerit, illi ad usucapionem. d. l. 13. l. 14. §. 3. l. 15. §. 1. ff. de divers. temp. præscript. modò tamen non interrupta medio tempore fuerit d. l. 15. §. 1. quæ interruptio fit, si ab alio res contra volu ntatem domini occupetur: l. 5. de usurp. aut in iudicio petatur. l. 10. C. h. t. Sanè si hæres rem ex hæreditate perceperit, quam scivit alienam, si tamen testator bonâ fide possedit nihilominus hæredi possessio illa defuncti continuatur §. diuina Inst. de usucap. l. 43. ff. eodem. nisi alius intermedius possederit. l. 20. ff. d. t.

106. Porrò immobilium possessor liberatur ab onere satisdandi l. 15. §. 1. ff. Qui satisd. cogunt. si modò res petitioni in pretio respondeat. l. 254. de V. S. l. 10. ff. qui satisd. quemadmodum & liberatur, licet præter illud ipsum quod petitur, nihil possideat. d. l. 15. §. 6. Non etiam cogitur titulum possessionis suæ dicere, l. 11. C. de petit hered. nisi de hæreditate controvertatur. d. l. 11. aut pro quotâ parte possideat, quærat. l. 13. de R. V. cùm in dubio præsumatur dominus §. 8. inst. de interd. l. 8. §. 2. ff. si servit. vindic.

107. Extrajudiciales effectus sunt, Usucapio quæ procedit ei, qui rem ex justâ causâ bonâ fide accipit, in qua origo inspicitur l. 2. pr. & §. 13. pro emt. Superveniens enim mala fides possessionem non vitiat l. 48. §. 1. de A. R. D. modò tamen possideat pro domino & civiliter l. 2. §. 2. pro hered. arg. l. 13. de usurp.

108. 2. Fructuum perceptio & lucratio. Ubi tenendum, quòd bonæ fidei possessor, fructus ex re possessâ interim l. 48. pr. de A. R. D. suos faciat Consumptos verò lucretur l. 28. pr. de usur. l. 4. §. 19. ff. de usurp. l. 48. §. 6. de furt. l. 22. C. de R. V. Neque hîc inter naturales, naturalissimos aut industriales distinguatur dd. ll. Neque: an rem ex titulo oneroso, an lucrativo habeat: §. 35. inst. de rer. divis. ita ut consumpti nullâ actione, neque per vindicationem §. 36. inst. de R. D. neq; per con-

C dictio





dictionem ( quia malâ fide consumti tantùm condicuntur *l. 3. C. de con-*  
*dict. ex l. 1. 4. C. de crim. ex pil. hered. l. 22. §. 1. de pign. act.* ) peti pos-  
sunt: nec iudex in condemnatione eorum rationem habeit *§. 2. inst. de*  
*Off. iud.*

109. Verùm, hæc quæ dixi de eo possessore intelligo, qui animo  
domini possidet: Nam creditor fructus percipiendo suos non facit: nisi  
convenit; & tunc fructus percipit non jure possessionis: sed jure con-  
ventionis. *C. I. A. d. r. de usur. §. 33. n. 3.* sed si re pignoratitiâ utatur furti  
tenetur. *l. 54. pr. de furt.* Idem dici potest precario- possidente. Seque-  
ster fructus perceptos custodit *l. 39. b. t. l. 17. ff. de pos.* Post petitione au-  
tem, bonæ fidei possessor omnes extantes restituit, *l. 22. C. de R. V.* quia  
ibi in malâ fide est. Verùm impensas tam necessarias quàm utiles *l. 37.*  
*l. 38. ff. de petit. hered.* quin & interdum non extantes *dd. ll.* deducit.

110. Quæritur hoc loco, ex quo tempore bonæ fidei possessor fru-  
ctus debeat, an ab eo tempore quo cognovit rem alienam: an quo pe-  
tita fuit? Licet autem bonæ fidei possessor quis intelligatur, quandiu  
fundus evictus non est: *l. 25. §. 2. de usur.* Tamen quia malâ fide possidet  
*l. 40. & l. 48. ff. de A. R. D.* veriùs debet eos à tempore scientiæ *dd. ll.* li-  
cet postmodum subsequatâ usucapione ex accensione illos suos faciat,  
*arg. l. 16. pr. C. de usur. l. 8. §. ult. C. de præscript. 30. aut. 40. ann.*

111. Malæ fidei possessor omnes indistinctè fructus, *§. 35. inst. de*  
*R. D.* tam pendentes: *l. 44. de R. V.* quàm perceptos: tam extantes: *l. 4.*  
*§. 2. ff. su. regund.* quàm consumtos *l. 1. §. 1. l. 22. C. & l. 33. ff. de R. V.*  
imò & neglectos *d. l. 33.* restituere cogitur. Excepto eo quod Maritus  
uxori: aut uxor Marito donavit. In quibus industriales tantùm pos-  
sessor lucratur *l. 45. ff. de usur.* licet enim rei donatio non permittitur *l. 19.*  
*ff. de donat. interv. & ux.* permittitur tamen fructuum *l. 15. & l. 16. ff. de*  
*usur. junctâ l. 2. §. ult. & l. 3. ff. de donat.* Impensarum tamen ratio & hæc  
habetur, ut non tantùm necessarias sed etiam utiles ( si res tolli potest  
*l. 37. de R. V.* ) accipiant *l. 38. de petit. hered. l. 38. ff. de R. V. Clariss. Dn.*  
*Præses disput. novo- iusti. 5. §. 68. & seqq.* in quibus tamen omnibus vi-  
dendum, non quid possessor percipit, sed quid petitor percipere potue-  
rit *l. 19. de usur.* & quamvis fructus restitui soleat usque ad rem judica-  
tam, *d. l. 31.* tamen si res absque culpâ possessoris perit, tunc ad id tem-  
pus tantùm restituuntur quo usque percepti sunt *l. 36. §. 1. l. 21. & l. 68.*  
*§. 1. de R. V. l. 27. §. 1. C. eod.*

112. Similia possessionis sunt dominium, item ususfructus, ut pa-  
tet ex utriusque doctrinæ collatione *Godefr. ad. l. 12. §. 1. h. l. § 2. eod.*

113. Contrarium possessionis est ejusdem amissio. Ut autem  
pos-



577. 416  
possessio nulla acquiri potest, nisi animo & corpore: ita & nulla amittitur  
*l. 8. h. t. l. 13. de R. l.* & quamvis sæpius dicatur in jure solo animo posses-  
sionem amitti, tamen nihilominus & corpore amittitur. Unde *C. l. A.*  
benè distinguit inter actum corporis apertum, & occultum, Actus cor-  
poris apertus est, si quis eâ mente de possessione & fundo discedat, ut no-  
lit possidere: *l. 3. §. 8. h. t.* aut si decesserit animo retinendæ possessionis,  
postmodum verò absens constituit relinquere *arg. l. 3. §. 2. & l. 44. h. t.*  
Actus corporis occultus est, si quis in fundo sit, nolit tamen possidere  
*d. l. §. 6.* Aut constituerit alteri possidere; *d. l. 18. pr. h. t.* Nam licet in fun-  
do sit, si tamen animus, qui in amittendâ possessione inspicitur, nolit  
possidere, protinus corpus, quod servitium imperanti animo præstat,  
desinit possidere, itaque si rem mobilem abjecero aut reliquero, licet in  
domo meâ sit, tamen ilicò amitto possessionem *d. l. 3. §. 13. h.* Plura de  
amittendâ possessione possunt colligi ex iis quæ suprà dixi de ejusdem  
retentione. Videatur & *C. l. A. θ. ult. h. t. Borch. c. ult. d. tr. Obrech.*

*p. 3. de possess. per totum.* Atque hæc de possessione pro-  
posuisse modò sufficiant.

F I N I S.



Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.

FINIS






Strassberg, Diss., 1623-26

X2617020

WDM









Inches

Centimetres

1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19

Farbkarte #13

B.I.G.

Blue

Cyan

Green

Yellow






Red

Magenta

White

3/Color

Black



RATI  
i. Anno 1626.

ben Boles-

is in audito-

ponit

ris æta-

spectabilis, præ-

ECTARUM P. P.

nsultissimi,  
DIO

atensium Aca-

. A.

SIONE

RIDICA

1626/18

~~LXII~~

44

566

6